



DISSE^TAT^O IN^AUG^RALIS MEDICA
SISTENS
1704, 6^o
Ægram Affectu raro

Scorbutico Pustulari laborantem,

Quam

In Alma Regia & Electorali Fridericiana,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE

&c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
D. MEDICINÆ ET PHILOS. NAT. PROF. PUBL. ORD.
POTENTISS. REGIS BORUSSICI CONSILIARIO
ET ARCHIATRO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO ÆTATEM COLENDO,

PRO DOCTORIS GRADU,

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura

& Privilegia legitime capessendi,

ed diem

Jul. Anno MDCCIV. Horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum examini submittit

OTTO KIRSTETTER,
Berolinens. March.

III. D. A. 6

HALÆ MAGDEB. Litteris Christ. Henckelii, Acad. Typogr.

AD HENRICO ET FRANCIO ANNO MDCCLXVII

LIBERUS LIBRARIAE IMPERIALIS

ACADEMIAE IMPERIALIS



DISSERTATIO MEDICA,
De
**AFFECTU RARO SCOR-
BUTICO PUSTULARI.**

PROOEMIVM.



Mpuritatem ac cor-
ruptionem sanguinis & hu-
morum intensam quæ scor-
buti nomine hodierno tem-
pore venire solet lernam ma-
lorum non sine ratione pro-
nunciari, is facile perspiciet, qui in praxi & experi-
entia exercitatus varia subiecta hoc affectu de-
tenta curanda fuscipit. Mirum enim dictu est,
quanta cohors symptomatum & malorum coa-
cervatim ibi se se listat & concentretur. Quin
imo nullus ferme morbus est, ad quem non viam

parare & disponere scorbuti truculentia possit, unde a nonnullis universalis morbus, dictus fuit. Igitur vehementer mirandum, dari adhuc quosdam novatores, qui scorbuti existentiam negant, & qualitatem salinam nocentem ex causarum morbificarum classe exterminare querunt, tot innumeris exemplis & experientia contrarium quotidie adstruentibus, & si sanguis impunitas admittitur ex salino sulphureis excrementis oriunda, sique salia excessiva in corpore retenta & mixtione ac motu, mutuaque agitatione & transmutatione pejora & acriora facta conceduntur, certe scorbuti existentia, imo genesis sufficienter adstructa est, utpote scorbutus est impuritas & corruptio sanguinis & humorum facta ab excrementiorum salium collectione & exaltatione. Verum enim vero specimen rarissimi affectus scorbutici speciminis inauguralis loco de praesenti ventilare constituimus, quo luculentius apparet dari utique summam sanguinis discrasiam & impuritatem, gravium & mirabilium symptomatum caufam. Cui labori ut altissimum Numen benedicat, precibus Deum sollicitamus ardentissimis.

HISTO-

HISTORIA.

Foemina honesta, 52. agens annum, fuc-
ci sanguinis & pinguedinis plena, habitus
corporis spongiosi, naturæ sensibilioris &
ad iram pronæ, diætam non adeo stricte
observavit, sed potissimum delectabatur
viætū duriori, falso, piscibus infumatis, fructibus horæis
quos primo iam mane ingerere consueta fuit; maxime
omnium vero acida lubentissime arridebant. Potu or-
dinario utebatur cerevisia Rupinensi, quæ plerumque
erat fœculenta, item vino vilioris fortis, quod cum fa-
charo miscere solebat. Cœterum non multum move-
bat corpus, sed sedentariam vitam amabat, & somno
indulgebat largiori, qui tamen plerumque turbulentus
laboris & phantasmatum plenus erat. Animus intempe-
rie affectuum sœvorum curisque sœpius distorquebatur;
purgationes menstruæ a trigesimo quarto anno jam
cessabant: ab eo tempore singulis annis adsveta erat
sanguinem mittere; sed omisit hoc ipsum jam per tri-
ennium. Per aliquot ab hinc annos experta fuit varia
gravia pathemata, ingens enim præcordia occupabat
anxietas, spiritus angustia, & in respiratione difficultas
non parum molestabant, primaque regio continuis ru-
etibus, flatibus infestabatur, acutus dolor & ardor circa
præcordia nocturno potissimum tempore affligebat, &
sæpe numero phlogofæ faciem post pastum occupa-
bant; maculae flauæ hinc inde dispersæ in corpore vi-
debantur, potissimum in hypochondrio dextro, ipsa-
que fronte. Postea langvor & ipsum corpus, maxime
que pedes tenebat, accessit eorum tumor cum dolore

intolerabili. Varia à Medico adversus hoc malum tentata & præscripta sunt præsidia. Constatabant autem potissimum ex volatilibus, spiritu cochleariae, salsis ammoniaci, sale volatili Sylvii, liquore cornu cervi succinato. Interpolatus quoque fuit usus apozematum ex leniter evacuantibus & depurantibus sanguinem concinnata; pulveres quoque acidum destructivi, nec male se, sed potius melius ab usu horum remediorum sele habuit, ut surgere de lecto & ad consuetudine redire potuerit cœconomica. Remansit tamen insignis stupor manus & pedes affligens, qui tamen elapsio quodam tempore etiam exspirauit. Anno sub sequente mense Februarii, præcedente tempestate valde austrina & pluviosa, babit cum appetitu & delectatione per aliquot dies vinum enlatum; sed confessim ab ejus assumptione hinc inde in corpore, præsertim sub maminis & axillis erumpabant pustulæ ardore & pruritu ingenti stipatae, quæ successively coenentes increcebant, cutemque arro dentes ulcerationes & fœdam putredinem efficiebant. Hisce juncta erat febris, quæ circa vesperam habebat accessiones suas & quidem circa horam quintam & sextam, præcedente horripilatione, sub sequente magno & continuo æstu. Sub hoc, quod mirum & notatu dignissimum, pustulæ superiores ad oculum augebantur, & extraordinaria magnitudine ova gallinarum & tenuia intestina inflata æquabant, & attollebantur semper bullæ cum sibilo: exprimebat ægra: Es wäre nicht anders als wenn sie mit einem Rohr aus dem Leibe heraus geblasen würden. Erant in totum transparentes & continebant magnam aquæ quantitatem. Similes erant

iis,

iis, quæ ambustionem vel vesicantia sequi solent. Occupabant non modo thoracem, abdomen & artus, faciem, sed etiam, oris, faucium, & nasi interiora. Cruciatus, quos sub eruptione harum vesicarum persentiebat ægra, non poterat satis exprimere, dicebat: Es wäre nicht anders als wenn sie im Feuer lege. Sitis vexabat continua, somni defectus, pulsus celeritas & frequentia, urinæ color ruber, alvi adstrictio internum sanguinis febrile incendium satis declarabant. Quando acu, vel forcipe aperiebantur bullæ, fundebant per magnam quantitatem ichoris ex viridi lutei fœtidi ac corrosivi, ad aliquot, quod mirandum mensuras. Hic humor virulentus cutim substratam, à qua cuticula secesserat, ulceratione & corruptione arrodebat, non sine fætore. Præterea aliæ minores pustulæ subobscuri nigri coloris sanguine concreto refertæ, hinc inde dispersæ in abdominis regione visebantur, quæ sphacelosam corruptionem minabantur. Perquam dignum notatu erat, quod hæc vesicularum eruptio singulis diebus circa noctem cum febrili paroxysmo per mensem fere integrum continua fuit: nam altero die mane semper fuerunt aperi& puluis exsiccans ex lapide calaminari cornu cervi usito, terra sigill., tutia, mastiche, myrrha, compositus inspersus, circa vesperam vero non quidem iisdem in locis, sed aliis eadem magnitudine protuberabant vesicæ cum pessimorum symptomatum comitatu, quæ simili modo tractabantur. Medicus ad gravem hunc affectum sanandum in consilium adhibitus temperantibus, absorbentibus, nitrosis pulveribus, mixturis, refigerantibus & decoctis humectantibus, depurantibus, &

& leniter laxantibus id effecit, ut ægra successive sanitati fuerit restituta, adeo ut extra lectum manere potuerit. Medicus reliquit prognosticum: hunc affectum non simul & semel exspiraturum esse, sed subinde repululaturum. Ipsa ægra præterito anno in æstate bene se habuit, tantum quod in manibus hiac inde scabiosæ humidæ pustulæ conspicerentur, quare nonnullæ siccatae decidebant novis surgentibus. Sed ægra palato indulgens ingerendo diversi generis fructus, nec ab ira sibi temperans febrilem insultum rursus fuit experita, sub æstu pustulæ ut antea semper versus noctem magno ardore & pruritu surgebant molestissimo cum propensione ad syncopen. Erant quædam, ut supra descriptæ, transparentes, verum magnitudine fabam non excedeant: lympha intus contenta erat falsissima. Post noctem mediari & versus auroram immanes cesarunt dolores cum eruptione pustularum, quæ vero sequentibus diebus circa vesperam versus horam sextam iterum recruduere. Quamobrem ut morbo, quacunque fieri possit ratione, prospiceretur, ordinata fuit potiuncula ex aquis temperantibus & cordialibus, v. gr. endiviæ, acetosæ, cerasorum nigrorum, scorzonerae, rubi Idæi, corticum citri, additis syrups, acetositatis citri, berberum, ribium, & similibus. Præterea potui ordinario ad eximias sitis molestias compescendas & particulas sulphureas biliosas infringendas infusa fuit drachma semiis mixturæ quæ ex clysto antimonii, sulphurato & tinctura violarum composita erat. Pulveres etiam præcipitantes & diapnoici ex antimonio diaphoretico, cornu cervi ustæ, nitro & cinnabari nativa fuerunt in usum tracti, & prout urgebat dolorum necessi-

cessitas postulauit, essentiæ alicujus aut alterius anodyni medicamenti momentum iisdem pulveribus fuit superadditum. Nec defuit etiam Diuina benedictio, utpote convaluit, & per trimestre spatium optime fese habuit. Autumnali tempore cum iterum vehementi ira excandesceret, & confessim superingereret frigidum potum, intra triduum ejusdem affectus memorati pustulosi recidivam est passa cum febre omnibusque antea recensitis symptomatibus. Eadem methodo, quæ supra tradita est brevi tempore in integrum restituta. Proxime post errores rursus commissos in diæta, animique commotiones præcedentes, idem malum rursus experta est, uti per literas mihi fuit traditum : sed defuit febris, & mitius cuncta processerunt.

RESOLUTIO.

Rarisimum hunc esse in praxi affectum & de eo paucam mentionem reperiri in Practicorum libris, nullus dubitandi locus est, & ratione mirabilium phænomenorum ejus evolutionem non esse facilem, quivis etiam, qui rerum medicarum notitiam habet, fateri tenetur. Prima difficultas occurrit in eo, quo nomine copiosarum & magnarum pustularum in cortice corporis singulis diebus sub febre productio insigniri debeat? Deinceps etiam ex qua materia & cur semper per statos paroxysmos redierint, rem cognitu arduam putamus. Placet autem primo omnium, quæ veteres circa hunc affectum memoria prodiderunt, inquirere. Fattendum vero est nomen pustularum latius patere, & variæ sub se species comprehendere. Quædam enim sunt humidæ, ex quibus ruptis vel humor vel faries, vel pus emanat. Aliæ sunt siccæ, humoris nihil profundentes.

B

Siccis

Siccis annumerantur exanthemata quædam pustulæ, purpuraceæ, vari, efferes, pruritus & verrucarum genera. Humidis continentur *vðewa* pustulæ, phlyctenæ seu phlyctides, epinyctides & varia scabieitam benignæ, quam malignæ genera. Quæ Græcis sunt Hydroa, latinis quibusdam sudamina, *Plinio* papulæ sudorum audiunt. Sunt autem sudamina teste *Galeno lib. 3. aph. 21.* æstate provenientes pustulæ in summa corporis parte erumpentes & cutem mordentes & pruriginosam efficientes, ex sudore bilioso cohibito. Epinyctis secundum *Celsum* pessima pustula est, colore sublivida vel subnigra, circa quam vehemens inflammatio, & cum adaperta est reperitur intus exulceratio mucosa, non major est faba, oritur in eminentibus partibus & fere noctu; unde nomen etiam a Græcis epinyctis impositum est. Et non pauci arbitrantur epinyctides esse pustulas illas quæ ab *Avicenna* vocantur efferae. Etenim Effera secundum hunc est pustula alba, lata instar vesiculae ad aliqualem tendens rubedinem, quæ subito utplurimum evenit, & quandoque ab ea effluit humiditas, quæ fortasse est sanguinea, & noctu utplurimum evenit, & in ea augetur ejus vehementia & malitia, & pruritum faciens angustia. Verum rectius efferae dicuntur tubercula parva & sicca ad rubrum vergentia, duriuscula, in quibus nullus ichor, nulla humiditas continetur non aliter ac si ab apibus & vespis, homo demorsus aut urticis percussus esset, solet brevi tempore evanescere.

§. I.

Phlyctenæ vero, vel phlyctides a veteribus appellatae sunt vesicæ tenui humore aqueo subflavo plenæ & quasi distentæ, & bullarum aquosarum instar lucidæ, hisque

hisque similes, quæ ab ignis ambustione, vel a fervente aqua, vel a vesicatoriis excitantur. Repente quoque hujusmodi vesicæ emergere solent. vid. *Musitanus Tom. I. p.37.* Scribit hic autor quod phlyctenæ viris sint rarissimæ, contingent autem foemini, quibus menses non debite purgantur, & id in manibus & pedibus, sed frequentius in cruribus & nonnunquam infantibus erumpunt per totam corporis peripheriam. Dicit etiam quod vel cum febre, vel etiam sine febre oriantur. Cum hoc autore consentit *Platerus* qui *Tom. II. Praxeos p. 673.* hæc habet: Pustulæ aquosæ phlyctenæ appellatae sub scabie humida comprehendendi possunt, cum illis ruptis crustæ quoque nascantur, dolorque suboriatur. Sunt autem pustulæ parvæ instar bullarum, vel majores etiam ut vesiculæ, è quibus disruptis aqua limpida effuit, dolorque tunc primum lancinans præsertim ex contactu cutis denudatae, crustaque demum inducta accedit. *Ingraffias* hoc pustularum genus appellat crystallos procul dubio ob pelluciditatem quæ fruuntur.

§. II.

Ex hisce veterum locis clarissime apparere arbitror in nostra ægra phlyctenæ esse nominandas vesicas illas magnas, quibus corpus fuit singulis diebus afflictum. Deinceps quoque epinyctides sese intermiscerunt. Nam pustulæ minores dolorificæ, nigrantes, sanguine concreto refertæ, hinc inde in abdomine præsertim apparuuerunt. Quod autem sint phlyctenes, evincimus id ex eo, quoniam in foemina ortæ fuerunt scorbutica & mensibus suppressis laborante. Deinde quod bullulæ magnæ transparentes aquoso humore distentæ cum febre nocte, & celerrime eruperunt & corrosivum fetidum ichorem aperte fuderunt, qui substratam cutim corro-

fit, tandem quoniam ex mala diæta animique immo-
derata commotione ortum fuerit malum & recidiva quo-
que excitata, quæ omnia accuratissime descriptionibus
phlyctenarum à veteribus juxta ac recentioribus pro-
latis quadrant. Nihilominus fatendum est affectum
non adeo esse obvium; observationes enim de hoc par-
cissimæ reperiuntur, è quibus eam quam tradidit *Spin-*
dlerus observat. 92. huc pertrahere & communicare non
erit inconsultum. Virgo, inquit, illistris, post levem
rigorem, & insequentem, mox autem iterum evane-
scensem calorem, conquesta erat de pustulis in abdo-
mine erumpentibus, præcedentibus puncturis instar,
pulicorum morsus, postea atrocissimum dolorem ignis ad
instar urentis introducentibus. Pustulæ hæ aqua pelli-
cidissima erant repletæ. Suspicio erat ex mensium di-
minutione, adeoque peculiari quadam sanguinis impu-
ritate, vel esu fructuum horæorum, venenatis anima-
culis infectorum ortum traxisse hunc affectum. Datō
sudorifero majores facti de dolore tamen nihil remise-
runt. Appetitus plane concidit, urina naturali tinctior
pulsus longe major & celerior. Hasce eodem anno scri-
bit Autor, in quodam ephippiario notavi, ut & alio ci-
ve, item in viro quodam circa præcordia.

§. III.

Quoniam vero hic affectus inter rariores est, &
pustularum & vesicularum in externo corporis cortice
generatio & productio in morbis ferme adhuc intacta est;
decrevimus circa hanc materiam paulo longiorem &
exquisitionem indaginem & tractationem instituere.
Subjectum videlicet in quo enascuntur vesiculæ est cu-
ticula ipsaque cutis. Cuticulam pelliculam esse trans-
parentem, densam tamen & porosam, firmiterque ad-
hæ-

hærentem, nullus dubitationis locus est. Compactam esse, utut tenuem, & poris angustioribus præditam inter alia patefacit denegatus transitus serosi & purulentum humoris in pustulis, vesiculis atque ulceribus. Nihilominus cuticula habet suos poros maiores, quibus patentes cutis canaliculi sudorem effundentes firmiter juncti sunt. *Malpighius in tract. de externo tactus organo* in extima cuticula admoto candente ferro detracta, ubi sudoris hiant vascula, convexam quandam pelliculam interiora versus non absimilem cucurbitulæ extendi deprehendit ad edendum forte valvulæ ministrium, ut interdum tensa detineat sudorem, & laxata exitum permittat. Postea adhæret cuticula cuti non modo per poros, sed etiam per fibrillas tenuissimas, quæ lineas & etiam cavitates incute conspicuas efformant. Cuticulam veronon simplicem esse membranam, sed ex tenuissimis pelliculis compositam esse fidem facit *Fabri- cius ab Aquapendente*; item *Laurenbergius* qui geminam observavit applicatis vesicatoriis, & in plantis pedum lamellatim divisibilis occurrit. Circa regenerationem cuticulæ monendum est, quod ex lentis ac viscidis à cutis nutritione residuis partibus coagulabilibus concrescat, imo augeatur in callum, sicuti indies videmus in pedibus & manibus, quibus laboramus. Nam attritivo motu calor excitatur & augetur, qui tum arteriarum tum cuticulæ poros aperiendo transitum istis lentis coagulabilibus partibus concedit, quæ deinde pelliculam constituunt. Est vero cuticula operculum oscularum & extremitatum vasorum in cutem hiantium: unde detracta cuticula cutis madida observatur. Deinde cuticula defendit cutim ab aere, ab injuriis externis:

Cutis enim per se sensibilissima est & ab aere in succos agente mox alterationem patitur.

§. IV

Quod attinet ad cutim, est hæc ipsa membrana ex filamentis vasorum sanguineorum nervulorum extremitatibus & fibris nervosis ac tendinosis retis in modum vel instar panni varie inter se contexta, interius vero componitur ex fibris meritis crassis, vasorum extremitatibus intertextis, exterius ex filamentis magis sensibilibus, tensilibus, nerveis. Præter hæc cutis habet multos lymphæ ductus, item sudorum & vaporum vaſa excretoria, de quibus legi potest *Steno tractatu de canis carbarm dissecio capite p. 98.* Recipiunt hæc materiam transpirationis ex vasis arteriosis capillaribus, quæ ibi sunt copiosissima. De his jam dudum veriffime scripsit *Galenus lib. 1. de simplicium facultatibus cap. 12.* Multæ venæ atque arteriæ hiant cum in poros cutis, tum in ejus superficiem: In pororum etiam foramina non pauca oscula pertinere cum arteriarum, tum venarum, credendum, neque minus ad externam suam superficiem osculis suis proficiunt. vid. *Lindenius in Physiol. pag. 729.* Tandem etiam circa cutis structuram monendum est, repleri interstitia hiatus atque inæqualitates fibrarum, substantia quâdam mucosa lenta pinguiscula seu potius mucosa villosa, quæ abraditur in pellibus aqua maceratis cultris. Ad hanc substantiam mucosam terminari vasæ credibile est: hanc quoque separare ab ipsis lymphæ exhalationis & transpirationis materiam & glandularum vicem præbere, nam veras & formales glandulas, exceptis quibusdam in locis, ubi pili exstant majores in capite & axillis, in cute reperire non licet: Porro ex hac mucosa substantia poris & canaliculi majores terminantur

nantur in superficem corporis, qui deinde clauduntur
cuticula & sudorem foras eliminant.

§. V.

Exposita sic ex anatomicis cutis stru^tura, in qua subiectum affectus nostri consistit, facilius jam erit descendere in explicationem singularis illius phænomeni nempe productionis magnarum illarum vesicarum à causa interna. Verum enim vero cum vesicæ in nostro subiecto obortæ eandem faciem, indolem adspectum, materiam quoque intus contentam habuerint, quam obtinere solent eæ vesicæ, quæ à cantharidibus vel aqua ferventissima solent corpori induci; hinc consultum & è re fore judico determinare prius quomodo nascantur talismodi vesicæ à causa externa. Est autem circa hoc negotium nostra sententia hæc: divellitur nempe & dissolvitur per omnia ea, quæ vesicas exterius concitant, continuitas substantiæ cutis atque cuticulæ. Nam quemadmodum secundum naturam ex arteriis tam lympha quam serum excrementium & sudoris materia advehitur in muscosam cutis substantiam secretoriam, interstitiis fibrillarum cutis intertextam, ex qua deinde per tubulos excretoriōs falsum & tenuē quod est in forma sudoris foras ex ipsius cuticulæ firmiter poris cutis annexæ orificiis foras effertur, lympha vero nutritia per lymphæ ductus & sanguis per venas reducitur: Ita quando continuitas ista viarum, vasorum, solvit ac læditur, necesse quoque est excretionem materiæ humidæ & vaporosæ lædi ac immutari. Hoc ipsum ad oculum apparet, quando in cute oriuntur magnæ bullulæ atque vesicæ, in quibus extravasatus continetur humor, qui originem suam inde habet, quandoquidem calor adduens, qui concitatissimi motus species est, externe cuti admo-

admotus disrumpit primo vincula sive filamenta ista tenuia, quibus arcte cohæret cuticula cum cute, ejusque excretoriis poris. Deinde quoque filaments nervea motu talismodi validissimo agitata sensu molesto afficiuntur, crispantur, corrugantur, lymphæque & venarum ductus inde comprimuntur, coarctantur, dilacerantur, porro impedito retrogrado sanguinis & lymphæ motu, arteriis vero subinde sanguinem cum lymphæ advenientibus, non potest non fieri, quin substantia illa, de qua supra locuti sumus, villosa & secretoria separat in abundantia lympham, quæ quoniā per cuticulam separatam à cute non potest exire, neque per lymphæ ductus regredi, intra paucum spatiū colligitur, & coacervatim ibi collecta cuticulam expandit, sicque vesicas saepius farciminiſ tenuioris magnitudine producit. Eodem modo agunt canthrides, famigeratissima illa & certissima vesicantia; hæc spiculis suis causticis salinis discidentibus discerpunt & dilacerant non modo tenuissima quibus cutis cum cuticula cohærent filaments ac vascula sed & fibras sensibilissimas nerveas cutis commovendo & stimulando, non modo dolorem, sed & crispationem, corrugationem & vasorum compressionem efficiunt, sicque eodem modo extra vas ponunt materiam lymphatico-gelatinosam.

§. VI.

Probe vero notandum est humorem illum qui continetur in vesicis non esse tantummodo sudoris materiam, ibi hærentem, sed maximam partem nutrititiam, gelatinosam, laudabilem lymphaticam. Fecimus cum talismodi humore in insigni quantitate collecto sequentia experimenta. Primo simulac fuit ex vesica humor flavescent expressus mox concreuit in gelatinam.

five

five materiam instar albuminis ovorum cohærentem, spissam. Ejus portio cochleari indita & admota leni calori mox in offam albam instar albuminis ovi cocti fecerit. Oleum vitrioli, item puluis aluminis, spiritus vini rectificatissimus, oleum tartari per deliquium humoris seorsim indita mox turbidam mixturam fecerunt & coagulum induxerunt. Tandem ipsa illa gelatina vitro infusa & super ignem facta leni exhalatione in materiam Instar glutinis conversa est. Denique non est prætererundum gustu examinatum humorem è vesica discissa eductum sal sedine manifesta lingvam vellicasse.

§. VII.

Ex allatis phænomenis atque experimentis clarissim perspicitur non modo ex falso seroso latice, qui forma sudoris ejici solet, sed maximam partem lympha gelatinosa compositum esse hunc humorem, & testari partim de lœsione & destructione lymphaticorum vasorum eorumque tubolorum, qui succum nutritium vehunt, partim etiam sudoris vasculorum: nam quod lœsa & aperta sint vascula, inde licet colligere, quod effusa ex vesica lympha, mox nova resurgat, semperque sub vesica, cutis valde humida sit, unde etiam humor gelatinosus de novo collectus mox vel veterem vesicam rursus in altum elevat, vel si penitus discissa fuerit novam ex fibris cutis diductis format: nam perpetuus lymphæ per arterias à corde affluxus humoris istius abundantiam causatur, unde ferventissima aqua cadaveri inspersa separat quidem cuticulam à cute, sed spatium illud non repletur humore, quoniam deficit sanguinis & humorum affluxus.

§. VIII.

Quemadmodum vero extrinsecus à motu violen-

C

to

to & materia spiculis & aciebus donata continuitas cutis
 solvit, vasaque dilacerantur atque aperiuntur: ita etiam
 in corporibus humanis generantur quandoque summe
 corrosivæ indolis salia, quæ protrusa ad habitum corpo-
 ris, eundem effectum rodendo, stimulando, dilacerando
 edunt, quem præstant cantharides, insecta, purgantia
 drastica, aliaque sali acri caustico imbuta & extrinsecus
 admota. Quod autem progignantur acerrimi & corro-
 sivi in sanguine humoribusque sales, ex eo patet quoni-
 am ejiciuntur eique infunt. Habemus exemplum in
 scabie, lepra, herpete, purpura alba & rubicunda, lichene
 impetigine, pustulis venereis, gutta rosacea, variolis,
 morbillis, pustulis labiorum quæ intermittuum præ-
 fertim tertianarum plerumque comites sunt aliquis ex-
 anthematibus, quæ omnia scindente, dilacerante causti-
 co elemento, quod critico & benigno motu ex corporis
 centro ad circumferentiam corporis pellitur, deberi,
 nemo in dubium vocabit. Et certe nihil adeo infensum
 cœconomiae nostri corporis est, nihil tam violentum &
 motuum corporis vitalium destructivum quam mate-
 ria penetrantis causticæ indolis, quæ quamdiu intra cor-
 poris pomeria continetur, & extricata cum lympha vecta
 fibrillas nerveas adoritur, luculentissima symptomata
 spasmi, anxietates febres lypothymiae, epilepsia, vomiti-
 tæ, asthmata fiunt, testantur id variolæ, morbilli, purpura,
 ante quarum eruptionē hæc aliaq; pessimæ naturæ sym-
 ptomata conspicuntur, quæ protinus facta eruptione &
 propulsione ejuscemodi materiæ ad habitum corporis
 mitiora evadunt. Tertianæ impetus mox retunditur
 visis pustulis in labii, & quartanæ vehementia exspirat,
 succedente scabie. Quando vero, materia vitiosa cau-
 stica ad habitum corporis protrusa retro vertitur & re-
 legit

legit sua vestigia, eadem, imò pejora symptomata subse-
qui solere experientia abunde confirmat.

§. IX.

In nostra ægra in pustulas & vesiculas magnas pa-
roxyſum fuſſe terminatum legimus. Ut vero hujus
Φασις explicationem aliquam adornem, veri videtur
ſimillimum, materiam acerrimam non modo dilacerare
tubulos ſubcutaneos fluorem vehentes ſed & fibras
nerveas cutis vel ramulos nervorum venas circumli-
gantes eas conſtringere & ſic præpediri ſangvinem in cir-
culo & lymphæ regreſſum; ſic non juſto modo fit hu-
morum excretio. Quando enim humor & ſangvis per
arterias advectus, per venas & vasa lymphatica trami-
tem ſubingredi nequit; ampliatur ſubſtantia muſcosa
cutis quam alii vocant glandulosam, per quam lymphæ
& ſeri excrementiſſii ſeceſſio fit copioſior. Præterea in
noſtro caſu mentio etiam fit aliarum minorum puſtu-
larum nigricantium, ſangvine concreto refertarum &
ſphacelofam corruptionem minantium, quod phæno-
menon etiam ex hiſ dictis facillimo negotio deduci po-
teſt. Nam quando ſangvis adductus per arterias, per
venas ob dolorem & ſpasium conſtrictas non regredit
ur, in interſtitiis inter haec duo vasa moram trahat ne-
ceſſe eſt, & quoniam præ ſangvinis per arteriam impul-
ſu nimium diſtenduntur meatus, hinc emergunt illæ
ſangvinolentæ puſtulae, non admodum quantum ſcio
frequentes.

§. X.

Eruperunt autem primo ſub mammis & circa axil-
las, quoniam in cute quæ circa mammas & axillas repe-
ritur, præter glandulas illas maiores axillarum & mā-

Cz

ma-

marum etiam veræ glandulæ in forma milii solis reperiuntur , hinc etiam ibi pori excretorii majores , & excrementitium serū ibi largius funditur . Quapropter etiam hoc loco pustulæ prius vīfæ sunt . Comitabatur autē pustulas semper ingens ador & pruritus , als wēn die Person im Feuer lege ; ardor prouenit ab inflammatione , inflammatio ab accumulatione sanguinis & vasorum minimorum nimia distensione , hæc autem ab ejus motu retrogrado impedito ; unde quoniam in parte à sanguine infarcto & obstructo liberæ exhalationes sulphureæ remanent , commotione agitationi intestina facta tremulum motum & molestem ardoris sensum nervis inducunt . Pruritus nascitur à particulis salinis & rosione ac insultu in teneras fibrillas . Humor contentus exulceratione & putredine substratam cutem infecit , magno cum foetore , manifesto indicio : lympham extravasatam acerrimo sale foetam esse , quod vascula cutis dilacerando stagnationem humorum & inde factam corruptionem & foetorem inducit .

§. XI.

Prorumpebant semper pustulæ præcedente horripilatione sub principium æstu , quoniam , uti notum est , in horripilationibus extrema cutis vascula ob spasmum fibrarum cutanearum comprimuntur , unde etiam disparere tunc vasa solent , pori sudoris occluduntur , hinc æstu subsecente & concitationi sanguinis motu & appulsi ad partes extremas , qui ordinario fierisoleat sub calore , non potuit aliter fieri , quin major quantitas seri & lymphæ per vascula a salibus lacerata effluixerit in vesiculos . Quin illa ipsa horripilatio originem suam duxit non aliunde quam ab acrib⁹ salibus ad fibras nerveas delatis ibique subsistentibus . Extraordinariae

au-

autem magnitudinis fuerunt vesicæ quoniam sanguis sero superfluo abundat hocque subæstu, sub pulsu celeri & magno, magna copia fuit ad habitum corporis delatum.

§. XI.

Occupabant quoque pustulæ interiora nasi, oris & faucium, quoniam membrana quæ tegit has partes, copiosis glandulis minimis substratis stipata est. Sitis continua, urina pauca, rubicunda, alvus adstricta, vigiliae, pulsus celer & frequens febrili sanguinis commotioni ejusque motui intestino & progressivo aucto debentur. Febris vero à vellicatione fibrarum nervearum in cuto aliisque internis partibus facta à scorbuticis istis salibus proficiscitur. Vesicæ magnam quantitatem ad mensuras aliquot ichoris, coloris ex viridi lutei, foetidi & corrosivi fundebant, quæ materia testatur de copia excrementii, impuri ac corrupti seri in sanguine. Circa vesperam præcipue paroxysmus febrilis oriebatur, qui mos est, uti supra fuit dictum omnium phlyctenum, quin imo omnes salini morbi, omnia pathemata salina plus molestant de nocte quam de die, nam de die transpiratio est liberior, motus sanguinis expeditior; sub nocte vero cum tardior est circulus & perspiratio corporis non tam libera, excrementsa salina collecta in corpore & hinc inde hærentia in poris cutis plus tragœdiam suam ludunt, quam de die. Surrexit malum ad usum vini enulati, si ullum ex simplicibus, certe radix enula est vehementissimum pellens, sudoriferum alexipharmacum; hinc in expellendis exanthematibus, nec non scabie præsidium commendatissimum: sale enim acri volatili sulphureo, fortiter sanguinem commovendo à centro ad circumferentiam citatissime eum pellit, & sic

C 3

ita

ita fit in partibus extremis secretio sordium impurum.

§. XII.

Rediit affectus singulis diebus circa vesperam quanquam causa periodici mali & paroxysmi morborum admodum cognitu & inquisitione fit difficilis. Nihilominus sententia semper hæc nostra fuit, habere tales morbos fontem suum in remotis locis, maximeque omnium primis in viis. Et valde credibile est morbosam mineram & ibi delitescere, ex quibus copia indies in subsidium mittitur & cum sanguine communicatur: & agnosco hic fabrum plurimorum excrementorum salino-sulphureorum, causticorum ipsam bilem & lympham pancreaticam & intestinalem. Hi enim humores à sanguine secreti impuris excrementitiis sordibus onusti, mora & mutua mixtione pejorem naturam induunt, si denuo cum sanguine miscentur, longe majores turbas in motu spirituum & sanguinis excitant, quam antea. Origo mali fuit mala diæta, utpote peccatum non sartim in quantitate, sed & in qualitate ciborum ac potus: si enim ex victu pravo impuritas sanguinis nascitur, certè hic ipse hic, est dum salitis, muriaticis, acidis, dulcibus, leguminosis, fructibus horæis, vino acido, cerevisia feculenta magna in quantitate utimur; præsertim si vita sit sedentaria, spongiosum & obesum sit corpus; utpote hæc alimenta multum particularum hæterogenearum & non miscibilium cum succo nutritio secum redundunt, quæ potius debent separari & excerni è reliqua humorum massa. Si vero debitus circulus sanguinis & humorum deficit, quod fit sub quiete corporis vitaque sedentaria, sique porro emunctoria à crassitie viscidorum

rum humorum fuerint obstructa non potest non inde crudus, rudis, impurus, partibus excrementitiis salino-sulphureis onustus sanguis oriri. Ex impuro vero sanguine & sero omnes humores præsertim bilis lympha menstrualis gastrica intestinalis, ipsa saliva, vitiantur, à naturali sua indole desciscunt, & varia facta commixtione, præsertim si accedit mora & fermentatio, mineram morborum pessimæ indolis fabricantur idque in intestinorum canalibus eorumque plicis. Veteres talismodi in morbis atram bilem, foeces & falsuginem sanguinis, ichorem tenuem acrem, excrementitium, ad superficiem corporis delatum, accusarunt. Ex visceribus dictis in morbis antiqui semper inculpabant hepar, nec sine ratione; si enim hepar obstruētum est & non rite biliosum humorem fecerit, hic remanens in sanguine, alienam plane naturam induit, omnesque humores postea defœdat. Deinde quoque quando hepar est obstruētum & infarctum, indicium est sanguinem deficere in tenuitate; spiritu ascentia, motuque progressivo inque primis per abdominis viscera. Præclara hac de re docet Galenus lib. 5. loc. affect. 7. Cum laborat hepar in temperie frigida & humida, afficitur sanguis, non ille tantum qui in hepatis substantia est, sed & ille qui per vasa mesaraica affluit; verum diversimode; qui enim stagnat, evadit crassus, difficulter loco mobitis; qui affluit pituitosus, crudus & semicoctus est. Ex quo dicto patet communicatio hepatis cum sanguine in mesaraicis vasis contento, & quod ejus impuritas ex hepate profluere possit. Clitoria autem habet Willisius de urinis c. 4. pag. 531. qui scribit: hepar in nonnullis scorbuticis ex sanguine & siccum instar uberis vaccini observavi. Unde si bilem à san-

sanguine non separat, ea vel in atram bilem, quæ omnium pessima est vertitur, vel per corruptionem in salace & corrosivum, quo abundat, degenerat & resolvitur.

§. XIII.

Ab anno trigesimo quarto mensēs emanferunt. Non celerius sanguis transit in cacochymiam, vitiosamq; qualitatem, quam per suppressionem mensium; sanguinis enim plenitudinem presso pede sequitur abundantia vitiosorum humorum præsertim in fœminis otio valde deditis. Tanta enim sanguinis copia cum non debite a natura languidiori circumferatur, lentorem accipit, evacuatoria occludit, unde fons & scaturigo copiosarum fordium. Recte scribit *Primerofius lib. III. de morbis mulierum cap. 5. pag. 179.* Mirum non est, mulieres, quibus in juventute menstrua suppressa fuerunt tandem, si prava vietus ratio accesserit, ætate ingravescente scorbuto affici. Omisit Venæctionis consuetæ usum. Nihil consultius est quam præsente sanguinis redundantia ex suppressa evacuatione illius lunaria sanguinem mittere & sic reliquo cruentori in vasis liberiorem motum ac circumulum procurare. Ita etiam nihil pejus est quam tali in casu abstinere à Venæctione, vel ejus loco minuere aliis modis, abstinentia nempe, motu, sudore, evacuatione per alvum, sanguinis quantitatem, hoc pacto enim aperta panditur via ad graves chronicos morbos. Præcordiorum anxietas, difficilis respiratio, copia ructuum & flatuum, cardialgia, phlogoses, macularum eruptio in corpore, langor, pedum tumor & dolor lancinatiorius sufficienter testantur de obstruто sanguinis fonte de impedito ejus circulo, de fordium accumulatione, & inde

inde profluentibus spasmodicis generis nervosi agitatio-
nibus & sanguinei fluxus inæqualitate.

§. XIV.

Aucta fuit diritas mali tempore autumnalis sub tem-
pestate austrina & pluviosa. Hyberno tempore ob de-
fектum aëris subtilioris atque tenuioris & atmosphærā valde condensatam non tantus vigor motuum in cor-
pore observatur, unde obſtructions tali tempo-
re radices suas ponunt & excrementorum fit redun-
dantia. Sub tempestate vero austrinā & pluviosa nota-
bilis actionum torpor, motus impotentia, membrorum
gravitas, putridorum humorum collectio gignitur. Ab
atmosphæra enim leviori & humidiori virtus motrix e-
laſtica in corde & musculis imminuitur, & hac ratione
circulatio humorū libera, quæ à motu partium toni-
co & spiritu ascentia sanguinis debita pendet, impeditior
fit, unde & partium halitusarum transpiratio & super-
fluarum secretio & excretio justo minus ordine succe-
dit, ut sic humores non tantum in corpore accumulati,
membra gravent ac premant, sed & ad putredinem di-
ſponantur.

§. XV.

Irà malum ſæpius reverſum est, quoniam ſcatu-
riginem huius in bile corrupta impurissima ponimus;
facile patet quare ira de novo produxerit adfectum, ut-
pote hac ipſa bilis impetuofius inque magna quantita-
te effunditur in duodenum, utpote motu ſpiritu citatio-
ri, ductus biliarii, nervosis ac membranofis tunicis con-
stantes compressi hujus eximiam quantitatem exone-
rant, unde inclinatio ad vomitum, fapor in ore amarus,
nausea, dolor conſtrictivus in latere dextroſub scrobicu-

D

lo

lo cordis proficiscuntur. Hæc vitiosa bilis cum lympha denuo in sanguinem missa fermenti quasi & seminii morbosici vicem gerit; & quoniam per ipsam iram sanguis concitatissime movetur, & febrilem quasi paroxysmum efficit, fit ut sordes excrementitiae hinc inde in humoribus fluctuantes vi quadam & impetu ad habitum corporis propellantur. Et hæc quoque est ratio, quare podagra, varioli, morbilli, erysipelacea affectio, arthritus saepe numero ab ira excitentur.

§. XVI.

Quod ad curam attinet talismodi affectus, non possumus non laudare eam quâ usi fuerunt præsentes Medici. Primaria intentio medentis esse debet talismodi in affectibus subcutaneis, cutem descendantibus, primas aperire vias per congrua evacuantia. Censemus hæc omnino pernecessaria esse, imo non exiguum partem curationis ab iis pendere, quippe nisi auferatur intus delitescens morbosia minera, imo nec præscindantur copiæ, quæ illi in subsidium indies subveniunt, haud video quibus armis contra tam truculentum hostem dicicare valeamus. At hoc ab evacuantibus tam præmittendis, quam toto curationis decursu debitissimis intervallis repetendis, unice sperandum esse quis non videt. Nam quoniam ex prima regione mali fons est deducendus & biliosa materia cum succis corruptis ibi mixta & ad sanguinem delata secundum nostram sententiam paroxysmos excitet, facile apparet maximi momenti hæc ipsa esse. Nam optima methodus est medendi periodicis morbis, eosque præscindendi per emetica, selectaque vacuantia. Draisticorum exhibitionem merito improbamus, quoniam spiritus nimium exigitant, tonum in-

intestinorum destruunt, & universum sistema nervosum in irregulares motus concitant. Leniorum vero usum quæ turbas non movent, non solum ratio, sed & experientia suadent. Commenidamus autem maxime serum caprinum, in quo infusæ fuere passulæ, summitates pini, folia fennæ, cassia fistulosa. Et dulcis quoque mercurius cum extracto fumariae in pillulas redactus utilissimam locabit operam: Hic enim propter eximiam suam subtilitatem fœs simul in intimos recessus insinuat & non viscosiorum solum partium nexus dissolvit, sed & fœlium, qui ibi forte delitescunt, aculeos retundit. Acria & caustica purgantia maxime etiam ob id improbamus, quoniam vehementer acri caustico sale imbuta sunt, quod una communicant cum sanguine. Nam certe aliena esset sententia purgantia partes suas activas energeticas tantum impendere in primas vias, nec cum aliis partibus ipsoque sanguine eas communicare, ipsa enim experientia loquitur contrarium, nam purgantia saepius sudorem vehemente movent, pruritum venereum excitant, mihius ardore, pulsus celerem, sitimq; causantur, & hæmorrhagias, anxietiesque præcordiales, spasmos quoque interdum concitant, unde etiam purgantia à nutrice assumta, utut quandoque in ipsis nullas sedes moveant, nihilo minus in infantibus lactantibus operationes habent, sufficienti arguento sal illud stimulans purgantis causticum, quod intestina matris ad stimulum recipiendum indisposita frustra stimulat, in intestinalibus infantis tunicis tenerrimis operationem suam exsequi. Nam tam perspicue nuper expositum est in dissertatione de selectis purgantibus, ut cœcus affectibus sit, qui hæc non capiat, videlicet omnia purgantia agere

D 2

ob

ob stimulum salinum , utut non omnia , quæ valde sapida sunt in lingva , propter salium differentiam , valde etiam purgent . Talismodi itaque sales stimulantes in purgantibus , qui non aliis in partibus præterquam in intestinis stimulante effectum edunt , non dantur . Hinc videmus omnia purgantia fortiora in morbis salinis & cacochymnicis sua acrimonia massæ sangvineæ totique corpori noxam inferre , unde quoque nostro in casu non erunt idonea .

§. XVII.

Phlebotomia num utilis sit ad sangvinem puriorum reddendum quæstio altioris inquisitionis est ? Ego existimo cum *Clarissimo* olim *Botallo* sangvinem depravatum ad cras in debitam semel amissam difficulter redire , sive purgantium , sive alterantium ministerio hoc exequi velis ; potius pars corrupti sangvinis detrahenda est , non quidem maxima quantitate , ne sangvifica vis in reliqua massa nimium retundatur , sed per vices , nam chylus bonus proxime adventans ad novum puriorum sangvinem transit , quo fit ut veræ sangvineæ particulae proportionem corruptarum , quæ ante sangvinis missionem massæ inerant , tanto viribus nunc superent , quanto hæ jam pauciores sint . Quin imo sangvis purioris chyli additamentis roboratus reliquas impuras , quibus scatet partes , multo promptius digerit , corrigit & per solennes ibi vias exterminat , quam si eodem gradu purus absque his suppetiis exstisset . Quia de causa in magna impuritate scorbutica , matre gravissimorum symptomatum magno cum fructu usus est *Præses* hac methodo : repetendam nempe phlebotomiam pluries debitis intervallis fvasit . Deinde elixir suum stomachicum

cum balsamicum, aromaticum, singulis diebus inter cibos assumendum commendavit; tempore matutino infusum Veronicæ vel scordii svasit. Quo remedio continuato per dimidium annum & ultra effecta & corrupra ante sangvinis massa sensim & successive universa ad primævam puritatem rediit. Hanc methodum etiam commendamus ægrotæ cum interpolato usu congruorum laxantium singulis septimanis ad depurandum sangvinem, & ad avertendos non modo hunc sed & alios affectus.

§. XIIX.

Nitrofa, terrea, absorbentia, corrigentia in forma pulveris vel cum aquis temperantibus & humectantibus sumta egregium hoc in affectu præstiterunt officium: nam hæc ejus sunt indolis ac naturæ, ut mineram istam biliosam acrem, qua fordescit prima regio, immediato contactu invertant, alterent, contemperent, præcipient & præparent ad meliorem excretionem & exitum per sudorem & vias urinarias; tutissima enim sunt hæc remedia in vitiis materiae peccantis emendandis, in præscindenda ulteriori impuritate sangvinis, quæ ex primis viis scaturit.

§. XIX.

Salia volatilia, fortia sudorifera expellentia nocentissima sunt; hæc in scorbuto fixo in locis maritimis, septentrionalibus præstantissimam sæpenumero locant operam, & eam ob causam celebratisimus est tam in Hollandia, quam Anglia, Scotia, spiritus cochleariae, sed in nostris regionibus non adeo proficuus: nam regnat hic magis scorbutus calidus & sordibus magis calidis biliosis onustus est sangvis, quarum energiam acuunt &

augent dicta calida; unde dolores, ardores, inflammations, anxietates augentur. Quod attinet ad usum externorum, quæstio est an tales pustulæ magnæ subortæ in cute aperiri debeant; cui respondemus; quod, quamvis apertione facta aer liber accedens substratam cutem facilius in corruptionem rapiat, præfertim si serum contentum valde fuerit corrofivum, nihilominus cum magna quantitas ichoris extravasati evacuari nequeat, & acrior factus eodem modo exedat & corruptat subiectam partem, hinc apertione non dissimilavemus. Opus est autem ut linimento, quod alias celebratur contra ambusta, & compositum est ex oleo lini, aqua calcis vivæ, croco, faccharo saturni & cerussa, illinantur ulcerosæ partes. Notanda hoc loco cautela est, inspersione pulveris exsiccantis ex bolis & terris in talismodi casibus cutis erosæ non adeo semper tutam ac fidam esse, partim ob id quod gelatinoso illo succo glutinis in formam compacti transpirationem penitus impedit, partim etiam hac ratione, dum non à tergo effluenti materia datur exitus, unde haec conclusa & mora pejor facta serpit & corrodit subnexas partes. Ita nuperum casum habuit *Præses*; nempe infans illustris familiæ quatuor circiter mensum latans à nutrice impura & iracundia concitata in motum accepit lac. Brevi post per totum abdomen unica vesica facta est, cuticula secessit, & rubor intensus in ipsa cunte conspicuus fuit; Quietè & somno caruit. Ab astante foemina confilium datum fuit, ut lapidem calamarem toti abdomini inspergerent, quod etiam factum fuit; sed mox retrocedens materia in pectus incumbebat & asthma cum summa virium prostratione postea mortem inducebat. Eximia sunt quæ hac de re prodidit *Hippocrates lib. pop. 7. §. 52.* Timonactis filio ferme bimeti

stri

stri oriebantur pustulæ in cruribus, & in coxis & lumbis
ac imo ventre, & tumores valde rubicundi. His autem
sedatis convulsiones & motus comitiales fiebant sine fe-
bribus multis diebus & mortuus est. *Balthasar Brunne-
rus in Tract. de Scorbuto* commendat cataplasma, quod
calidum imposuit, quod ceu panaceam ad mitigandum
dolorem & pruritum commendat. Paratum hoc fuit
ex caseo coagulato, germanice *Qvarf* / herba nasturtii
aquatici & baccis juniperi in lacte decoctis. Mitigata in-
terioris morbi vehementia ad nitorem cuti restituendum,
balneum cum externis quod commendat *Iob. Bap.
Theodosius epist. 22.* hoc est: Recipe hordei m. 3, malvarū
fumi terræ ana m. 3, furfuris tantundem, radicum la-
pathi acuti; si haberi possunt m. 2. bulliant in f. q. aquæ
& ea calida fiat in loco pruriginoso balneum, & post ex-
siccetur, & ungatur rosato, descriptionis Mefuæ. Hoc
quoque unguentum erit optimum; Recipe terebinthina
libram semis, butyri recentis uncias 4. vitellorum
ovorum num. 3. lithargyrii, sarcocollæ, pulveris radi-
cis lapathi acuti ana unciam unam, succi limonum unc. j.
dissolvantur butyrum & terebinthina, & post addantur
pulveres: & cum incorporata fuerint omnia, addan-
tur succi fumi terræ, succi lapatii acuti, succi rosarum
aa. unc. 4. & bulliant omnia ad consumptionem suc-
corum, & cum tepuerit unguentum, addantur vitelli
ovorum.

§. XX.

Ultimo de diæta pauca quoque subjicienda veniunt.
Primum in omnitalismodi affectu ab omni cibo acuto,
falso, calido, & qui cholera & melancholiæ generat,
abstinendum: veluti sunt aromata omnia sicut piper,
Zingiber, cinnamomum, crocus, cimimum & similia:
caseus antiquus & caro salita, & pisces saliti, caules,
raphanus

phanus, porri, allia, legumina omnia. Hinc sequitur, quod abstinere conveniat ab omnibus cibis, quibus utuntur Catholici quadragesimali tempore, & ab iis, quos è pasta præparant. Carnes autem hæc cibi salutares, scilicet animalium juvenum, pullorum, avium nemoralium vituli castrati, agni annales, & hædi, pisces ex fluentibus & bonis aquis, cancri fluviales, lactuca, endivia, scario-la, acetosa, cichorea, cressones fontales, spinachia, blitum, borrago, caseus recens sine sale, lac & lacticinia sine sale: ptisanæ etiam usus sit frequens & longus in sero, in modum ferculi. Potus fit, vinum album pauciferum lymphatum: usus omphacii, aceti passulati, non contemnendus: butyrum non laudo, oleum vero bonum mihi placet. Sed hæc sufficiant hac vice.

F I N I S.

Uod fuerint dudum genuina vocabula rerum

Perdita, Catonis docta querela fuit.

Q Cur? quia virtutis censum vitiosâ voluptas,

Et virtii virtus nomina foeda ferat.

Verum est. His addo, quod sape vocamina docta,

Præmia doctorum, rudis in arte petat.

Plurima pars talis. Sed tu, cui Musa ministrat

Nomen, Vir Præfans, non sine rebus ades.

Doctrina est, ex qua digno tibi nomina furgunt:

Gratulor hanc laudem: nomen & omen habes.

Clarissimo Dn. Candidato omnia fausta appreccatur.

FRID. HOFFMANN.

ERRATA: pag. 6. lin. 6. pro concinnata, lege concinnatorum. p. 8. 1. ult. pro urgebat, urgens. p. 12. §. 3. 1. 5. pro exquisitionem, exquisitiorem. p. 14. 1. ult. pro poris pori. p. 15. 1. penult. pro addurens, adurens. p. 17. §. 7. 1. 1. pro clarissim clarissimè. p. 18. 1. 15. pro scindente, dilacerante, scindent, dilaceranti. p. 20. 1. 5. pro ador, ardor ib. §. 11. 1. 6. pro concitationi, concitato. p. 23. 1. pen. pro ex sanguine, ex sanguue. p. 24. 1. antepenult. pro langor, lanquor, Levia, que adhuc occurrent, B. L. optimè interpretabitur.


ULB Halle
004 068 491



3

f

56.



DISSESSATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
Ægram Affectu raro

Scorbutico Pustulari laborantem,

Quam,

In Alma Regia & Electorali Fridericiana,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE

&c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
D. MEDICINÆ ET PHILOS. NAT. PROF. PUBL. ORD.
POTENTISSL. REGIS BORUSSICI CONSILIARIO

ET ARCHIATRO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO ÆTATEM COLENDÒ,

PRO DOCTORIS GRADU,

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura

& Privilegia legitime capessendi,

ad diem

Jul. Anno MDCCIV. Horis ante & post meridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum examini submittit

OTTO KIRSTETTER,
Berolinens. March.

HALÆ MAGDEB. Litteris Christ. Henckelii, Acad. Typogr.

III. D. A. D. 6